



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

XVII. De homicisio voluntario & causali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## DE HOMICIDIO VOLUNTARIO ET CASUALI,

## TITULUS XVII.

## §. 1. Homicidii nomine qua contineantur.

**H**omicidii nomine apud SS. Canones, non tantum venit hominis interemptio, sed & odium, detractio, persuasio mala, omnisque motus iniquus ad nocendum alteri *can. Homicidiorum cum 4. seqq. de poen. dist. 1.* Verum nos de eo agimus, quod ad hominis intereccionem pertinet. Ita enim accipitur sub tit. *Decretal. De homicid. & passim tit. D. & C. Ad L. Corn. de sicar.*

§. 2. Duplex homicidii genus, voluntarium, & casuale: & de pena voluntarii

Et hoc, si animo occidendi & dolo malo admittatur, voluntarium dicitur. Sin casu, id est, præter opinionem occidentis, casuale sive fortuitum, *l. 1. junct. l. in lege 7. D. d. tit. & passim Ext. h. tit.* Illud per Jus Civile capitali pœnâ vindicatur, *l. 3. §. legis Cornelia, iunct. l. penult. D. Ad L. Corn. de sicar. §. item lex Cornelia Inst. De publ. iud. per Jus Canonicum excommunicatione coercetur per judicem, can. Itaque xxiv. qu. 3. can. Si quis membrorum xxiii. qu. 8. cum etiam depositione ab Ordine quocumque, si Clericus sit, iuxta dispositionem text. in cap. Cum non ab homine 10. Ext. de iudic. in cap. Tua Ext. de poenit. & remis. Addimus, dolo malo, ut excludamus militem, judicem, ejusque ministrum; quorum ille hostem, hi nocentem impune occidunt, *can. Miles cum seqq. xxiii. qu. 5.* licet non sine irregularitatis nota, *can. Si quis viduam dist. 50. cap. penult. Ext. De homic. cap. 5. cap. 9. Ext. Ne Clerici vel monachi Vide D. Th. in 2. 2. qu. 40. art. 2.* Item ut excludamus eum, qui defendendi sui causâ aggressorem suum interficit. *Clem. unica De homic. addo omnino Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant, cap. Significasti 18. circa fin. Ext. hoc tit. cap. 3. §. si verò Ext. de sent. excom. l. 3. D. de iust. & iure, l. 1. §. vim D. De vi vi arm.**

§. 3. Homicidium casuale extra noxam est, nisi. &c.

Casuale sive fortuitum homicidium, quia fato

quodammodo imputatur, extra noxam est, *cap. Latro 9. Ext. De homic. l. 1. C. Ad L. Corn. de sicar. l. 1. in lege D. eod. tit. can. Frater dist. 50.* nisi fortè culpa casum præcasserit: hac enim specie homicidium à Jure Civili puniatur, sed mitius, *l. 1. §. 1. D. eod. tit. l. Si putator 11. D. Ad leg. Aquil. & à SS. Canonibus irregularitate notatur, cap. 8. cap. 12. Ext. De homic. can. Hi qui dist. 50. sicut & si, dum rei illicitæ opera dabatur, casus incidit, *l. 1. cap. 8. cap. 10. cap. pen. & ult. Ext. De homic.**

§. 4. De homicidio à furioso & similibus perpetrato.

Casuali simile est homicidium admittum à furioso, infante vel dormiente. Nam & hujus nulla ratio ducitur, *Clem. unica h. t. l. Infans Ad leg. Corn. de sicar.*

§. 5. De infante in lecto reperto mortuo.

Illud verò de parentibus; apud quos infans in lecto repertus est mortuus, rescriptum est ab Alexandro III. ut si parentes non lateat, eum à se oppressum vel suffocatum esse, graviter in hoc se deliquisse agnoscant, & ad trium annorum pœnitentiam revocentur, quorum unum in pane & aqua transigant sin. incertum, pœnitentiam arbitrio imponeatis subeant, *cap. fin. Ext. De his qui filios occid. & ibid. Glos. & alii.* Cum in eo peccasse intelligantur parentes, quod infante in communem lectum recipiendo, periculo oppressionis vel suffocationis exposuerint, *can. Consulisti 1. quæst. 5.*